

Typographi Lecturo

S.

Quid hac nova C. J. CÆSARIS editione præstiterimus paucis tecum, Benevole Lector, communicare volumus. Quum illa editio, quæ in lucem emissa est anno 1697 cum notis & animadversionibus DIONYSII VOSSII hætenus ineditis, deficeret & à plurimis desideraretur, eandemque prælo iterum mandare animum induxissimus, visum fuit nobis, quo hanc editionem locupletiore redderemus, omnia ei adjungerè, quæ comparatu difficilia, his in regionibus nunquam edita, & doctorum plausu comprobata exstarent. Itaque ex nupera editione Anglica integras Cl. J. DAVISII Coll. Regin. Cantab. SOCII animadversiones notis D. VOSSII, etiam non diminutis, interseruimus, adeo ut virorum duorum Clarissim. integra in hunc autorem monumenta, nunquam ita simul typis expressa, vobis exhibeantur.

De reliquis notis, quæ sunt J. RHELICANI, P. CIACCONEII, Fr. HOTOMANNI, J. BRANTII, aliorumque, quum curas Viri Cl. Davisii magni faceremus, eas tamen ubique immiscere non potuimus, ne moles hujus voluminis excresceret; cujus rei jacturam non adeo desiderandam judicavimus, quoniam sæpe iteratis repetitionibus passim ea sunt obvia. Id tamen fecimus, ubi deficiunt notæ D. VOSSII (quo loco in superiori editione unius J. Rhellicani breves notas subjecerant) nos editionem Anglicanam passim sumus secuti.

Metaphrasten Græcum, quem nec ipse DAVISIUS, ut ex præfatione patet, probabat, his non adjecimus: J. Vero CELSUM, ita ut à Cl. J. G. GRÆVIO editus erat, suo loco substituiamus. Sed quum passim in notis suis editionem CELSI Londinensem citet Cl. DAVISIUS, ne Lector ad alium librum recurrere cogeretur, notis marginalibus ejusdem editionis paginarum numeros designavimus.

De his admonendus nobis esse videbaris, Amice Lector, Tu his fruire, & bene Vale.